ORATIO

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/dejuventutisrect00vigl

DE

JUVENTUTIS RECTE EDUCANDAE NECESSITATE

AUCTORE

Stephano Viglionio

IN AVERSANO SEMINARIO RHETORICES PROFESSORE
ET MULTARUM ACADEMIARUM SOCIO

NULLIBI CERTIS DE CAUSIS RECITATA

ORATIO

NEAPOLI

Kal. Januarii an. rep. sal. M.D.CCC.LXIII.
E TYPIS ANDREAE FESTA
In via Carbonaria n. 104.

Tria sunt difficilia mihi, et quartum penitus ignoro: viam aquilae in coelo: viam colubri super terram: viam navis in medio mari; et viam viri in adolescentia.

Proverb. 18, 19.

STEPHANO VIGLIONIO

IN AVERSANO SEMINARIO RHETORICES PROFESSORI

DOMINICUS DE ROSA

IN CATHEDRALI ECCLESIA CANONICUS POENITENTIARIUS
ET IN SEMINARIO STUDIORUM PRAEFECTUS

S. P. D.

Tuam, lectissime Professor, de juventutis recte educandae necessitate orationem a carceribus ad metam, uti ajunt, non semel, sed iterum, atque iterum attente, et studiose decucurri, et nihil in ea censoria animadversione dignum offendi; omnia e contrario, plane, latine, ornate, ad id, quodcumque agitur, apte congruenterque conscripta deprehendi. Quamobrem de tua in hanc lucubrationem perbelle ac feliciter collocata opera vehementer gratulor, utque primo quoque tempore publici juris, et commodi per typos facias et suadeo, et magnopere adhor-

tor: non dubito enim quin plerisque legentium non parvam utilitatem ac voluptatem sit allatura. Tu vero latinam linguam tam praeclaram, Ecclesiasticis imprimis hominibus perutilem, atque adeo pernecessariam, jam tum a pueritia, qua maxima contentione coepisti, excolere, atque aliis in dies, aliisque minime contemnendis tuis lucubrationibus eam illustrare pergas. Quod sane et tibi honori, et studiosae juventuti emolumento non mediocri, et litteris latinis splendori cedet. Vale

Datum Aversae Kal: Novembr: an: a Virg: Partu. M.D.CCC.LXII.

SEMINARII AVERSANI

STUDIOSAE JUVENTUTI

STEPHANUS VIGLIONIUS RHETORICES PROFESSOR

CUM ACADEMIARUM ALIARUM SOCIUS

TUM INTER ARCADES ROMANOS

ZEUSIDES TAMIRIENSIS

ET

IN CASTRIREGALI PEREGRINORUM HOSPITIO

MARCUS TULLIUS CICERO

S. P. D.

Vobis, Adolescentes optimi, oratiuncula haec nostra summo jure debebatur: de adolescentulorum nempe recte educandorum necessitate agit; quod sane, ut probe nostis, vestra imprimis, maximeque omnium debet interesse. Hanc vero Ecclesiasticae praesertim juventutis institutionem quanti ego ab ineunte aetate fecerim, et quod ad meum Praeceptoris attinet munus, quantopere accurarim, haud operæ est heic referre. Hoc unum verissime affirmare possum, ex quo primum tempore pueros in hoc Seminario degentes edocendi mandata mihi fuit provincia, tametsi laboriosa, et multis difficultatibus impedita ea sit, amplissimam semper existimavi, omnemque in ea exornanda laborem, industriam, ac diligentiam collocavi. Huc dies, ac noctes spectavi, huc meas omnes cogitationes, huc meorum numquam intermissam retuli studiorum rationem. Atque hinc impensissima vobis fortasse non ignota illa caritas, atque indulgentia profecta est, qua et Seminarium istud, cujus honori, commodisque libentissime adhuc, et magnopere adlaboravi, et vos, vestrique similes, quos gaudium meum, suavissimas delicias, et dulcissimum melliculum judicavi, sum prosecutus. Septem supra viginti circumacti anni sunt cum laborum, et curarum plenum hoc Ecclesiae bono succrescentis juventutis edocendae summa alacritate initum non minori ad hanc

usque diem contentione sum emensus, et adhuc emetior curriculum, et non modo nullam unquam inde molestiam, sed incredibilem quamdam, quae in singulos dies magis, ac magis crescit, voluptatem cepi. Ut autem ad meae in vos benevolentiae, proque vestris commoditatibus sollicitudinis perspectam, et satis cognitam testificationem aliquem cumulum afferrem, lucubratiunculam hanc meam vobis praecipue, ceteris praetermissis, nuncupandum curavi. Fore mihi namque persuadebam, cum id cepi consilii, ut eam lectitantes, quantum in amoribus vos haberem, clarius cognosceretis, quantique vestra existimanda sit educatio intuentes, in pietatis exercitationes, et in literarum, ac scientiarum studia, in quibus estis, majori animorum vestrorum ardore incumberetis, vestraque assidua diligentia, ac studio majorum, ac patrum nostrorum laboribus partam huic Seminario nominis celebritatem tueremini, ac sustentaretis. Eam vero pro ingenua, qua polletis, humanitate libentibus quoque animis a vobis exceptum iri confido. Postremum illud est ut amantissime, et cupidissime salvere vos jubeam: valete igitur jucundissimae deliciae meae, ornatissimi adolescentes, iterum, iterumque, rectissimeque valete.

Datum Aversae ex aed: Sem: Kal: Jan: M.DCCC.LXIII.

Cum multa a majoribus nostris, quae ad civilem societatem magis accommodata, et conducibilia viderentur pro varia temporum, ac rerum ratione accurate admodum, praeclare, ac sapienter excogitata, atque instituta sunt, tum nihil profecto, si quis rem serio perpendat, accuratius, praeclarius, ac sapientius et excogitasse, et effecisse illos existimandum est; quam ea sane, quae ad erudiendam, ac recte informandam juventutem spectant. Nam, quoad longissime respicere, et praeteritorum temporum memoriam recordari ultimam mens nostra potest, usque inde repetentes nullo statim negotio comperiemus, eo perpetuo gentium, ac nationum universarum reges, et summos quoslibet magistratus suas omnes cogitationes, industrias, curas, et conatus contulisse, ut sua cujusque liberaliter institueretur iuventus, et ad bonam virtutis frugem componeretur. Atque inde factum est profecto, ut summo in honore semper sint habiti, amplissimisque praemiis affecti, qui fingendis a teneris, uti ajunt, unguiculis puerorum animis diligentem operam navarint, ut elegantissimae a summis philosophis de recta adolescentium institutione conscriberentur disputationes, atque terrarum ubivis academiae, colle-

gia, gymnasia, atque alia id genus variis nominibus donata pueris edocendis publice sint instituta domicilia, quae a prudentissimis, ac diligentissimis moderatoribus accurarentur. Intelligebant enim, magna quadam, ut erant, sapientia praediti, majores illi nostri e recte, aut perperam instituta juventute incolumitatem, otium, tranquillitatem, pacem, atque innumerabiles alias commoditates; discordias contra, pernicies, seditiones atque incredibiles alias exitiales pestes non in singulas modo familias, sed in universae prorsus societatis corpus dimanaturas. Quamquam enim ad societatem eamdem et regendam, et sustentandam, amplificandam, ac sospitandam a prudentibus politicis pro regionum diversitate, pro varia populorum indole, atque ingenio, nec non publicarum rerum statu et conditione non pauca inventa sint, et quotidie inveniantur adminicula et opportuna subsidia; nulli tamen illa usui, quamquam ipsa per se potentissima, efferatis, nullaque usis liberali disciplina civium regendis animis cessura esse deprehendentur. Leges enim, ut nonnulla levioris momenti, caeteris praetermissis, delibemus, quae communi et philosophorum, et politicorum consensione praecipuum, ac validissimum societatis praesidium, ac proprium veluti fundamentum semper existimatae sunt, nullius omnino, nullius, si morum absit docilitas, erunt momenti. A vitiosis namque, depravatis, et licentiae magis, quam justae, ac moderatae libertatis cupidis hominibus durae illae nimis, importunae, atque intolerandae, veluti ab indomitis equis fraena, remordentur, ut ita dicam, summaque vi detrectantur, et excutiuntur, aut certe per ignominiosas, et occultas fraudes, dolos, et calumnias eluduntur. Quamobrem jure optimo sapientissimus ille Lacedaemonum legislator Lycurgus summopere fuit collaudatus, qui nimirum dissolutos civium suorum diuturna, atque impotenti licentia mores, ut ad officium revocaret, optimeque constitutos in obedientia, ac potestate diutissime re-

tineret, praeterquam quod eorum ingenio magnopere accomodatas tulit leges, nequaquam scripto eas proponendas, atque injecto poenarum metu observandas existimavit, at vero, ut paullatim usu ipso, atque actione familiares quodammodo efficerentur, atque ita civium animis potius consignarentur, ac penitus infigerentur. Fore namque arbitrabatur, ut, quidquid tacita morum, et consuetudinis ipsius leniori quadam, at certe efficaciori insinuatione sensim sine sensu inductum, et firmatum juris esset, facilius exciperetur, tenacius mentibus inhaereret, et diutius permaneret. Quae sane omnia prudentissimus ille legislator mirifice est consecutus. Nulla enim in tota Graecia respublica extitit aliquando, quae justitia, temperantia, abstinentia, aequitate, fortitudine, continentia, caeterisque optime constitutae dominationis virtutibus adeo floreret, tamque diu acceptam semel recte vivendi rationem retineret, ut posset cum Laconica comparari. Quid vero, quod Xenocratem nobilem in primis philosophum cum ex eo quaereretur, quid ejus discipuli assequerentur, respondisse ferunt, ut id sua sponte facerent, quod legibus facere cogerentur. Nec mihi publicorum magistratuum sapientiam, industriam, ac sollicitudinem, nec militum robur, ac praesidium jactitetis, quae bina sunt alia pollentissima, maximeque propria regnorum firmamenta. Ubi enim recta morum desit disciplina, dissolvantur illa statim, et concidant necesse est; nec raro in perniciem convertantur. Alteri quippe per summam audaciam, atque impudentiam despicientur, alteris vero per apertam vim resistetur, atque inde caedes, civiles discordiae, factiones, seditiones, quae ad internecionem usque solent exardescere. Quae cum ita sese habeant, ipsi per vos probe videtis, Auditores, quantum non singularum modo familiarum, verum et universae hominum societatis intersit civium animos effingere, et ad omnem humanitatem, ac virtutum genus a teneris informare. Quapropter non modo non improban-

dum, sed et summopere laudandum, probandumque consilium nostrum videtur, qui cum permulta alia et ingeniis, et utilitati nostrae accommodata pro nostri instituti ratione in medium afferre academica possemus argumenta, illud unum, caeteris sepositis, de gravissima puerorum instituendorum necessitate, deque maximis, quae inde in civiles coetus proficiscuntur, utilitatibus curavimus seligendum. Ita enim fiet, ut pueris educandis destinati moderatores, ac praeceptores, quantum sua ipsi diligentia, ac navitate publicis rebus prodesse queant, intuentes novis veluti subjectis igniculis, multo alacriores, atque operosiores in suis obeundis muniis efficiantur; adolescentes vero ipsi, quantum pro sua ipsorum accurata institutione, et cultura desudascitur, intelligentes dociliores, atque obedientiores suis sese moderatoribus excolendos, et expoliendos tradant. Atque heic tanta mihi ante oculos obversatur dicendarum rerum seges, ut, unde mihi laetandum jure esset, magnopere inde commovear, et pertimescam, ne argumenti magnitudini, ac dignitati parem, et ingenii facultatem, et eloquentiae copiam afferre possim. Verum in hac tanta animi mei trepidatione unus me reficit, ac recreat jucundissimus, ac frequentissimus vester audientium conspectus. Cum enim me toties antehac ex eodem hoc loco aliis de rebus dicentem, et benigne, et humaniter, et comiter exceperitis, atque ad propositum persequendum non parum confirmaveritis, dubitandum mihi plane non est, quin propensiori me benevolentia, atque humanitate hodierno die excipiatis, et confirmetis. Res namque agitur, quae vestra ipsorum et virtute, et Religione, et civica caritate praestantium magnopere, ut ipsi per vos perspicere potestis, debet interesse. Adeste igitur, adeste animis, Auditores; tuque imprimis, Amplissime Praesul, qui assidua, et incredibili quadam pro adolescentulis *in domo Domini plantatis*, atque in uberrimam Ecclesiae spem succrescentibus sollicitudi-

ne distineris, Tu me tua, consueta, et spectata benignitate complectere, et sustineto. Tua certe potenti suffragatione, et eorum, qui me tam diligenter attendunt, favore incitante roboratus ad dicendum libentissime aggrediar, et illud perficiam profecto, ut nullam neque majorem, neque utiliorem, neque meliorem operam Religioni, reique publicae universae navare nos posse, quam si recte juventutem erudiamus, atque informemus, et vestris prope oculis intueamini, ac rectissime arbitremini, et certissimo gravissimoque judicio vestro, ita ab omnibus habendum esse statuatis.

II.

Et primum omnium, illud mecum, Auditores, recolatis necesse est, e duabus summopere diversis, secumque invicem pugnantibus partibus hominem constare: altera nimirum rationis participe, altera vero illi cum belluis communi. Et ad priorem quod attinet, nihil homine illustrius, nihil praeclarius, nihil divinius excogitari, aut affirmari potest. Rationis namque beneficio bonorum omnium, quae a Deo O. M. humano generi collata sunt, longe praestantissimae *divinae naturae ac bonitatis consortes effecti* non modo brutis animalibus maximopere praestamus, verum etiam ad ipsummet Deum quam proxime accedimus. Per eam namque simillimam imaginem Dei, ad quam conditi sumus, prae nobis ferentes ad veritatem, ad honestatem, ad virtutem, ad aequitatem, ad justitiam, ad excelsa, et recta, et pudica quaecumque sunt, exoptanda, et aggredienda, et sectanda ratione ipsa duce impellimur, et vehementer incitamur. Atque inde fit, ut quod verum, simplex, et sincerum est, id hominum naturae sit aptissimum judicandum; inde profecto insatiabilis illa veri videndi cupiditas: inde divina plane illa facultas, qua nimirum homines consequentia cernunt, et causas vident, earumque progressus, et quasi antecessiones non ignorant, similitudines comparant, rebusque praesentibus coniungunt, atque adnectunt futuras. Ex quo illud quoque minime contemnendum bonum consequitur, ut oratione rationis comite, atque administra advocata dicendo, communicando, disceptando naturali quadam nos inter societate conjungamur. Verum ut plurima, quae ad eam rem confirmandam in medium pro

ferre possem, paucis comprehendam, tanta homini secundum rationem inest praestantia, atque excellentia, ut divinus omnino, et terrestris veluti Deus alter sit jure optimo existimandus. Quod ethnicorum ipsorum nobilissimi philosophi, praestantissimi oratores, et poetarum elegantissimi senserunt, qui nempe divina eum natura constare ad unum prope omnes affirmarunt, et caeteris sanctius animal, mentisque capacius altae, divinae particulam aurae, atque id genus praeclarissimis nominibus nuncuparunt. At vero si quod ad alteram partem, quae illi videlicet cum brutis communis est, hominem attendamus, longissime alia, et plane miserrima est ipsiusmet hominis conditio; nihil in eo, nisi quod dedecore, infamia, ignominia dignissimum est, inveniemus. Rectae namque rationi repugnantibus cupiditatibus, quae et insatiabiles sunt, et caeco quodam impetu ad perniciem impellunt, ingenitae praestantiae, atque excellentiae penitus oblitus ad libidinem, temeritatem, audaciam, impietatem, impudentiam, ad turpissima, atque inhonestissima quaequae facinora perpetranda inflammato studio homo rapitur, et incitatur. Nulla in eo cupiditatibus occupato divinarum, atque humanarum legum reverentia, nullus justitiae, continentiae, temperantiae, et virtutum caeterarum amor, nullus in dictis, factisque pudor, nullum boni, nullum veri, nullum recte sentiendi studium, nihil sincerum, nihil simplex, nihil ingenuum, at omnia e contrario errorum, nequitiae, fraudum, improbitatis, amentiae, ac pravitatis plena. Atque eo sane sanctissima illa, et verissima sententia spectasse putandus est Tullius, cum inquit: *Homo non ut a matre, sed ut a noverca natura editus est in vitam, corpore nudo, et fragili, et infirmo, animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad voluptates, ac delicias; in quo tamen inest tamquam obrutus quidam divinus ignis mentis, atque ingenii.* Sed illustrius multo, atque praeclarius in eamdem sen-

tentiam maximus, et egregius ille gentium Doctor eloquutus est, cum aliam legem mentis suae legi repugnantem, et veluti captivum in legem peccati abducentem in membris suis sese experiri, neque quod vellet bonum, id agere, at contra, quod nollet malum, id operari affirmavit. Quod si tantae huic ex effraenatis, nullaque disciplina attemperatis cupiditatibus profectae in malum proclivitati, atque a bono, et recto aberrationi innumerabilia vitiorum incitamenta, quae nos dies, ac noctes circumdant, adiiciantur, si plurimarum, et jucundissimarum rerum, quibus stipati sumus, varietatem adjungamus, miserrimam profecto, ac plane poenitendam hominis conditionem judicabimus, qui cum ad virtutem, et honestatem sit a natura comparatus, tot tantisque impedimentis, tam gravissimis difficultatibus, ne propositam teneat metam, prohibeatur, immo vero in contraria omnino studia vehementissime impellatur. Quae certe omnia cum de homine quocumque universe spectato verissima, et exploratissima sint, tum vero maxime de adolescentia, ac juventute habeamus necesse est. Namque summopere incerta, et lubrica est juvenilis aetas, cerea in vitium flecti, levitatis, audaciae, insolentiae, temeritatis plena, deliciarum, ac voluptatum cupidissima, virtutis, ac laboris impatiens, quae ardentiori fervet cupiditatum aestu, nulla, aut infirma admodum praedita est judicii ratione, nulla praeteritarum rerum utitur duce, ac magistra experientia, atque hoc in loco plurimos illos formidandos plane scopulos, in quos facillime iuventus offendere plerumque solet, et miserrima, quibus in dies, atque adeo in horas singulas obiecta est, naufragia praetermittam. Hoc unum adjungam, tot, tantisque illam periculis obsideri, atque urgeri, ut hominum longe sapientissimus ille Salomon affirmare non dubitarit, quae viro sit in perdifficili, et scopulosa adolescentiae aetate tenenda via, se penitus ignorare. Quae cum ita sese habeant, neque in dubium revocari possit scitissimum

illud in aureo Proverbiorum libro relatum vetus effatum : *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea*, ecquis vestrum, Auditores, non videt, planeque non sentit, in quantam publicarum rerum perniciem, atque exitium succrescat, quam graves, quam luctuosas, quam non ferendas societati humanae allatura sit calamitates, nisi omni sollicitudine, industria, ac diligentia a teneris erudiatur, accuretur, optimisque praeceptionibus, ac documentis ad virtutem excolatur juventus? Ut enim ager, si malignam a natura indolem sit nactus, nisi assidua in eo excolendo agricolae desudet industria, non modo fructuosus esse non potest, sed noxias quoque, ac pestilentes herbas, et fructus afferat oportet, ut suopte ingenio feroces, atque asperi equorum pulli, nisi opportuna sollertis domitoris opera mitigentur, et fraeno parere edoceantur, ferocissimi deinde, atque indomabiles evadent; ut arbores, si quam succrescentes, et teneriores adhuc prae se pravitatem ferant, nisi vinitoris industrii sedulitate in tempore corrigantur, adeo distortae, ac pravae deinde crescent, et obdurescent, ut frangantur potius, quam ad justam, si forte coneris, formam redigantur: sic prorsus et in vetitum nefas procliviores adolescentes vitiosissimi, et exitiales, nedum familiarum suarum, sed et civitatum universarum fient pestes, nisi peridonea, ac tempestiva usi fuerint diligentissimorum moderatorum disciplina. Mira videlicet, mira prorsus, et incredibilis est culturae vis, atque efficacitas: plurimum in omni studio, in omni arte, in omni scientia, rebusque omnibus diligentia, qua una virtute virtutes omnes reliquae continentur, ad naturae ipsius insita vitia, atque impedimenta in adulta quoque aetate superanda valere consuevit. Quod, ut caeteros praeteream, in eloquentissimo illo totius Graeciae lumine, et ornamento Demosthene patefactum est. Is enim, exacta vixdum pueritia, cum patrem amisisset, tutorum negligentia, atque avaritia non ea primum liberalium

disciplinarum elegantia, quam excellens ipsius ingenium postulabat, expolitus fuit; magna praeterea laterum infirmitate, ac vocis exilitate laborabat, adeoque balbus erat, ut ejus ipsius artis, cui studebat, primam literam non posset recte pronuntiare. Atque his omnibus de causis non bene ad dicendum, agendumque comparatus cum binas ad populum Atheniensem orationes habuisset, tanto audientium religiosas aures, atque animos opere offendit, ut ab omnibus extemplo exsibilaretur, atque exploderetur. Qua accepta gravissima contumelia vehementer commotus, ac perturbatus cum eloquentiae laudem ab actionis dignitate imprimis pendere statuisset, ut adversantis naturae difficultatem, ac perversitatem superaret, pertinacissime secum ipse visus est luctari. Ad impeditae linguae, et angustioris spiritus corrigendum vitium, coniectis in os calculis, summa voce, unoque spiritu permultos versus inambulando, atque ardua loca celeri gradu ascendendo pronuntiare consuescebat: ne concitatae multitudinis strepitu in dicendo turbaretur, ad maris litus, in quod sese fluctus illidit, declamitare solebat. Subterraneam quoque sibi cellam aedificasse ferunt, ubi media capitis parte abrasa, ne in publicum sine verecundia prodire posset, duos ipsos, aut tres continentes menses sese abdebat, ac diligentissimam legendo, scribendo, commentando, actioni, formandaeque voci operam dies, ac noctes adhibebat, aegre ferens, si quando antelucana opificum victus esset industria. Quo sane pertinacissimo labore hoc ille Graecorum Oratorum facile princeps consequutus est, ut eo nemo planius, elegantiusque loqueretur, et absolutissimum dicendi, agendique exemplar evaserit. Atqui si tantum in obfirmato iam aetate viro efficere potuit diligentia, atque industria, ecquid in teneriori, molliori, et magis, quocumque volueris inclinare, flexibili non efficiet? Cerae namque similis puerorum aetas alios, atque alios scientis educatoris arbitrio suscipit, atque induit mores, nullis praeterea cupidi-

tatum motibus sollicitatur ; majori in parentes integrae naturae instinctu, benevolentia, et obsequio grassantur, majores natu verentur, aut ferulae timore, cuius vel ipsum reformidant nomen, aut praemiorum dulcedine ad praeceptorum suorum obtemperationem, ac reverentiam facillime adducuntur, cumque aliis penitus curarum, ac negotiorum molestiis expediti sint, ac liberi, quas edocentur disciplinas, avidius arripiunt, et tenacissime ad extremam usque senectutem retinent, ac recordantur. Quae sane omnia, atque id genus alia permulta probe admodum intellexerunt et Aristoteles, et Plato, et Plutarchus, et praestantissimi quique alii antiquitatis Philosophi, qui de recta puerorum educatione plurima sane, graviter, subtiliter, accurateque disputarunt, praeceperunt, et scripta posteris tradiderunt. Probe intellexit antiquus ille Crates, qui si fieri posset, altissimo urbis conscenso loco proclamaturum, ajebat, ne totum faciendae rei homines studium adhiberent, filiorum autem, quibus opes relinquerent suas, nullam, aut parvam rationem haberent. Probe intellexit invictus Macedonum Rex Philippus, qui cum filiolo Alexandro auctus esset, Aristotelem extemplo certiorem fecit, magnopere se gaudere, ac Diis gratiam habere affirmans, non quod natus esset sibi filius, verum enim vero, quod tunc temporis nasci contigisset, cum eo praeceptore, atque educatore uti posset, quo speraret, et pro certo haberet dignum parente, suoque tanto imperio haud imparem aliquando illum extiturum. Nec sua fefellit omnino Philippum opinio. Tantum enim doctore Aristotele in omni disciplinarum genere, omnique vivendi, atque agendi ratione profecit Alexander, ut praedicare non dubitarit, non minus debere se Aristoteli praeceptori, quam parenti Philippo ; huius namque munus esse, quod viveret, illius autem, quod honeste viveret. Probe intellexerunt sapientissimae Persarum gentes, quae suas omnes curas, cogitationes, industrias, et conatus in pueris recte, ac

religiose educandis collocarunt. Maximorum namque, et praestantissimorum, quae reipublicae summam attingebant, negotiorum longe maximum, ac praestantissimum puerorum, ac juvenum institutionem, et culturam existimabant. Nec vero eam parentibus intra domesticos parietes arbitratu suo peragendam, sed per publicos et spectatissimos magistros accurandam volebant. Erat apud illos, quod liberale appellabant, forum, ubi et regia, et aliae magistratuum aedes exstabant: hinc et venalia quaeque, et circumforanei eorumque clamores, ineptiaeque in alium locum procul erant amandatae: hoc autem forum in quatuor partes pro diversa puerorum, epheborum, virorum, ac senum aetate dividebatur. Illuc igitur prima statim luce omnibus erat conveniendum: illorum autem cuique partium duodecim praeerant magistri, pueris quidem e senioribus delecti, qui ad eos optime informandos accomodatiores viderentur: epheborum praesides e viris deligebantur ii, qui illorum moderationi magis consulturi putarentur: id genus praefectis parebant viri, qui ad summi magistratus imperata prompte, atque alacriter peragenda paratos eos essent effecturi: suos quoque praesides seniores habebant, qui praeerant idcirco, ut sua et ipsi munia fungerentur. Pro varia porro aetatum, atque ordinum diversitate suis quisque studiis, at longe seduliori, ac diligentiori sollicitudine pueri, atque ephebi sub praesidum custodia, et optimorum praeceptorum disciplina occupabantur, et exercebantur. Omnium vero maxime ad magistratibus debitam praestandam obedientiam, ad modestiam, ad summam in cibo, ac potu continentiam. Ad quas sane et studiosius excolendas, et alacrius exercendas virtutes temperantissimorum, et continentissimorum praesidum, quae assidue ante oculos obversabantur exempla, excitabant. Atque ex his paucis hucusque memoratis rebus (neque enim omnia commemoravi) illud probe intelligere potestis, Auditores, quam attente, quam sedulo, quam diligen-

ter juventuti a teneris, uti loquuntur, unguiculis apprime informandae adlaborarent Persae. Eo nempe severa, accurataque adolescentulorum institutione spectabant, ut vitiorum quoque nomen ipsum ignorarent, et tales deinceps evaderent cives, ut pravam, aut foedam rem quampiam non modo facere, sed ne appetere quidem auderent. A quibus profecto sanctissimis, ac praestantissimis Persarum institutis haud longe sapientissimae Lycurgi leges, et jura abhorrebant. De quo illud primum scitissimum, et aetatum omnium memoria dignum commentum in medium heic afferendum videtur. Ut enim populo quantam in se vim, atque efficacitatem ad virtutes, aut vitia suscipienda penitusque in animos inculcanda a teneris consuetudo, atque educatio haberent, luculentissimo exemplo demonstraret, binos ex iisdem canibus prognatos catulos diversa omnino aluit, atque instituit ratione, delicate videlicet, ac luxuriose alterum, alterum vero ad venationem, atque laborem. Cum autem hoc pacto adolevissent, quadam die, frequenti advocata concione, binos illos catulos produxit, patinaque in medio, ac lepore positis cum dimisisset, prout fuerat quisque educatus, ad patinam vorandam, atque exhauriendam alter, ad leporem sectandum, atque arripiendum extemplo alter advolavit. Tum ille ad Lacaedemonios, videte, inquit, cives, quantum in bestiis quoque ipsis in utramque partem valeat educatio, atque assuetudo; en isti bini catuli iisdem nati parentibus diversa tamen ratione educati, alter edax, ventrique deditus, venaticus alter, ac laboris patiens evaserunt. Tum vero, ut aequissimas eas, quas diuturna vivendi licentia corruptis populi moribus medendis ac sanandis excogitavit, ac tulit leges, praetereamus, quanto studio, quanta Religione, quantaque sapientia tenellis pueris instituendis non prospexit ille consultissimus legislator? Eos enim non ad suos quemque parentes, verum ad civitatem communem omnium parentem pertinere, atque adeo cum septimum attigissent ae-

tatis annum, a domesticis suorum blanditiis avulsos publice, et summa severitate educandos esse arbitrabatur. Atque illud primum omnium, quo firmiores, robustiores, atque habiliores ad belli obeunda munia efficerentur, crebris, ac laboriosis palestrae, et venationis exercitationibus ad famis, ad sitis, ad frigoris, atque aestus, aliaque id genus permolesta incommoda toleranda, ac libenter sustinenda obdurandos curavit. Ut effervescentes animorum retunderet, et cohiberet cupiditates, id egit maxime, ut cum ad alias virtutes informarentur, tum vero imprimis, ut enixe legibus obtemperarent, magistratibus obedirent, majores vererentur. Quae profecto adversus seniores reverentia, quibuscumque in locis, ac rebus talis, ac tanta erat, ut Lysandrum Lacedaemonium dicere solitum fuisse referat Tullius, honestissimum Lacedaemone esse senectutis domicilium. Atque his breviter hactenus memorafis Lycurgi institutis illud sane effectum est, ut Laconicae juventutis educatio, si nonnulla excipias, summis perpetuo laudibus apud omnes gentes, ac nationes celebraretur. At quid de Romanorum juvenum disciplina, atque educatione dicam? Sapientissima nimirum ea erat, accuratissima, et ad praestantissimos efficiendos viros magnopere accomodata. Privatis namque in domibus sub modestissimarum matrum familias severitatis, vigilantiae, sollertiaeque plena custodia peragebatur. Cum enim abstinentiae, temperantiae, continentiae, singularis adversus Deum pietatis, ac religionis, aliarumque id genus virtutum laude, incolumi adhuc republica, illae florerent, ad eas ipsas et alacriter amplectendas virtutes, et impigre excolendas, proque viribus imitandas suos quoque liberos cum sanctissimae vitae exemplis excitabant, tum optimis, et quotidianis documentis admonebant, hortabantur, incitabant. Tum vero, cum per aetatem licuisset, aut ipsi per se parentes, si nulla forensium, aut publicarum rerum cura distinerentur, liberorum suorum animos liberalibus imbuebant

disciplinis, aut probatissimis quibusque praeceptoribus tradebant imbuendos. Ea porro per leges, ac majorum instituta adolescentibus Romanis exercitationum genera concedebantur, quibus et valetudinis tuendae, et comparandarum virium, et ingeniorum excolendorum ratio simul haberetur. Illud quoque in more, usuque minime contemnendo apud priscos Romanos erat positum, ut summum juvenes senibus adhiberent honorem, atque observantiam, et amplissimorum parentum loco habendos, et colendos eos existimarent: senes vicissim juvenes incredibili quadam carissimos veluti filios indulgentia prosequerentur. E qua mirifica plane, atque inaudita mutua caritate illud consequebatur, ut alii ab aliorum sanctissimis exemplis, atque consiliis ad rectam vivendi rationem adducerentur, alii contra, ne quid cupide, ne quid temere, ne quid improbe, quodque aetati, et auctoritati suae minus decorum esset, coram aliis dicerent, agerentve, summopere caverent; atque adeo dies, ac noctes inter expressa, et spirantia virtutum exempla versaretur Romana juventus. Ecquid autem mirum est, si ex hac tam sedula, tam accurata, tamque severa disciplina gravissimi, sanctissimi, continentissimique illi extiterint Camilli, Scipiones, Fabricii, Curii, Marcelli, Fabii, Paulli, Scauri, Reguli, Catones, eorumque similes innumerabiles alii, quorum in pace prudentia, sapientissimisque consiliis pulcherrime stetit Romanorum respublica, singulari in bello virtute, ac fortitudine tanta per totum terrarum orbem excrevit magnitudine, ut ipsa sua mole laborare quodammodo videretur. Quod adeo verum est, ut acutissimus ille rerum aestimator Tullius a prolapsa in primis veterum morum ratione, ac bonorum virorum penuria sui temporis reipublicae interitum repetendum esse affirmarit. Sed quid tamdiu in externis, longissimeque a memoria nostra remotis de necessaria puerorum educatione subtiliter consectandis, atque exponendis argumentis immoramur, cum in sacrosancta no-

stra Religione et certiora, et firmiora, longeque sanctiora habeamus? Et re quidem vera, ut veterum Hebraeorum, qui nos proxime attingunt, mores, coeremonias, gravissima Patriarcharum exempla, divinitus afflatas Scripturas, quae luculentissima in rem praesentem suppeditarent argumenta, brevitatis gratia praetermittam, quem vestrum, cum et religiosissimi, et eruditissimi in rebus divinis sitis, quem vestrum fallit, Auditores, quantis benevolentiae significationibus summus Ipsemet Religionis auctor Iesus Christus, dum inter mortales ageret, pueros exceperit, laudarit, sit complexus? Quanta verborum, sententiarumque gravitate, quanta poenarum comminatione, et praemiorum pollicitatione diligentissimam eorum habendam esse rationem praeceperit, insinuarit, inculcarit? Ad ipsos videlicet propter morum simplicitatem, atque innocentiam coelorum regnum pertinere professus est, gravissimas, atque atrocissimas iis, qui eos offenderent, aut depravarent, juramenti interposita religione, intentavit poenas, amplissima rursus iis, qui susciperent, atque amplecterentur praemia pollicitus. Ex hac autem praestantissimorum omnium longe excellentissimi, immo vero unici, ac divini Praeceptoris saluberrima doctrina eximias illas, aut de pueris excolendis, aut de accurata eorum cultura commentationes, ac disputationes, quae in aureis eorum lucubrationibus graviori quodam stylo pertractatae inveniuntur, et Basilius, et Augustinus, et Chrysostomus, et Hieronymus, et Bernardus, et Anselmus, et Ambrosius nobilissimi, et summi illi Ecclesiae doctores, verique parentes hauserunt. His autem sapientibus ducibus, ac magistris instituti, atque edocti Christiani priscae antiquitatis Patres omnes, matresque familias nihil sibi sanctius, nihil religiosius, pulchriusque ducebant, quam liberis suis vigilantissimam, maximeque sollicitam, ac laboriosam operam navare. Eos namque pretiosissima veluti pignora a divina sibi providentia ad tempus commendata ha-

bebant, atque adeo religiosa quadam reverentia custodiebant, diligentissimeque curabant. Ea cum lacte poene ipso illorum animis instillabant modestiae, pietatis, et virtutis universae documenta, quae diligentius deinde exculta uberrimos afferrent fructus. Cum paullulum adolevissent, nullis aut laboribus, aut curis, aut industriis, ut a vitiis amoverent, ad virtutes inclinarent parcentes, ad optimarum quoque rerum omnium auctorem, ac largitorem Deum, ne ab officio discedere pateretur, continentes effundebant preces; si quid forte peccassent, aut offendissent, admonebant statim, arguebant, reprehendebant, acriter objurgabant, neque ab hujuscemodi admonitionibus, ac reprehensionibus desistebant, donec ad saniora consilia, et meliorem frugem errantes eos revocassent. Cui perspectae non sunt, aut saltem auditae, ut de aliis taceam, pro filio suo praeclarissimo totius christiani nominis lumine, et ornamento Augustino Divae Monicae susceptae sollicitudines, labores, lacrymae, effusae ad Deum preces, gravissimaeque molestiae, ut a Manichaeorum, in quam inciderat, secta, et a liberiori vivendi ratione ad Fidei sanitatem, atque ad omnem sanctimoniam adduceretur? Cum enim primum a recta veritatis, ac virtutis semita deflexisse illum sensit, tantum, tamque acerbum accepit dolorem, ut se matrum omnium infelicissimam arbitraretur. Tanta vero constantia, tantaque animi, corporisque contentione dies, ac noctes instando, urgendo, insectando, poscendo, efflagitando, insolabiliter plorando, ab errore filium revocandi susceptum semel propositum persequuta est, ut voti tandem aliquando effecta sit compos, et justissimum illud saeculorum omnium memoria dignum praeconium consequuta, tam egregii scilicet Ecclesiae Doctoris duplex ut parens, quod eum et communi luci, et catholicae Fidei peperisset, ab omnibus et haberetur, et diceretur. Jamvero nihil hoc in loco, ubi mea maxime exultaret, ac triumpharet oratio, nihil, ne vestra ab-

utar patientia, de acerrimis illis non Evangelicae tantum, sed vere Civicae, quam verbo tenus, et sine causa crepantibus buccis jactitant passim, atque ostentant sapientissimi novarum rerum machinatores, nihil, inquam, de acerrimis illis Charitatis adsertoribus dicam, qui non modo suas omnes curas, mentis cogitationes, studia, atque opes, verum ipsos sese totos puerorum culturae dediderunt. Nihil de splendidissimo Galliarum sidere Vincentio a Paulo nuncupato dicam, qui ad innumerabilia in Religionem humanamque societatem pulcherrima collata beneficia illud summopere celebrandum adjunxit, quod ad sequioris sexus educationem, cum de cruce, tum de providentia, ac sanctae Genovephae, quae dicuntur, puellarum erigenda curarit domicilia: qua sane Evangelicorum, atque Apostolicorum virorum studium et caritatem aemulantium virginum institutione quot populorum omnium publicae privataeque rei attulerit commoditates, ipsi per vos, Auditores, cum et experti sitis, et magis, ac magis in dies experiamini, ipsi per vos aestimare potestis. Nihil de verissimo, et indulgentissimo puerorum parente Philippo Nerio dicam, qui cum caeteris omnium ordinum hominibus sollicitam, laboriosam, exercitam vivebat vitam, tum vero maxime pueris excolendis, in quibus potiores, ac suaviores delicias suas collocasse videbatur. Quos catervatim per urbem Romam coactos ad magnam prae se pompam agere, ad ludum, et comissatiunculas deducere, secum una habere, benigne, et joculariter tractare delectabatur. Nec verbis satis dignis declarari potest quam blande, quam jucunde, quam suaviter ad pietatem eos, ad modestiam, ad omnem virtutem opportunis pro locorum, ac temporum ratione documentis alliceret, et informaret, quanta et vere paterna facilitate puerilem eorum insolentiam, ac levitatem pateretur, et quibuscumque in rebus vetulus cum esset, leviusculis sese puerorum moribus, atque indoli ad illorum sibi conciliandam gratiam accommoda-

ret. Quo sane fiebat, ut pueri contra longe majori, quam quos sibi natura dederat parentes, benevolentia Philippum prosequerentur, ad illius omnia voluntatem, ac nutum gerentes. Nihil de gloriosissimo Venetiarum splendore Divo Hieronymo Aemiliano dicam, qui parentibus orbatis, egenis, ac sordidis per urbem, atque agros vagantibus pueris collectis opportuna orphanotrophia aedificavit, et litteris, ac morum imbuendis disciplina Religiosorum a Somasca vocitatam familiam instituit, ut et eorum solitudini, et optimae simul educationi consultissime consuluerit. Nihil de spectatissimo in pueros caritatis exemplari Josepho a Calasanctio dicam, qui ad imbuendam spiritu intelligentiae et litteris juventutem et natus, et coelitus destinatus visus est. Nam et adhuc puerulus ad se vocatos pueros in Fidei mysteriis, sacrisque precibus erudiebat, et divino numine incitatus Clericorum Regularium, uti dicuntur, Pauperum Matris Dei piarum scholarum, qui e proprio instituto pueros in litteris, ac pietate erudirent, congregationem instituit: qua certe ratione et perpetuo, et religiosissime puerorum rationibus prospexisse Calasanctium quis vestrum, Auditores, audeat in dubium revocare? Nihil de validissimo Religionis firmamento, ac praesidio Ignatio Loyolaeo, ejusque strenuissima Societate dicam, quam tanti ducis auspiciis infestis Christianae Fidei temporibus ad haereses dissipandas, ad vitiorum monstra profliganda, ad orthodoxam Fidem propugnandam, omnium vero maxime ad pueros, et cujuscumque gradus juvenes litterarum cultu, ac bonis moribus probe informandos Deus ipse excitavit. Quod quidem munus ingenti cum Religionis, tum societatis emolumento apertis ubique locorum gymnasiis egregie hactenus eam praestitisse, et adhuc praestare, nisi a veritate, et recta ratione consulto aberrare velimus, loculentissimi nobismetipsis esse possumus testes. Verum enim vero, Te splendidissimum Purpuratorum Patrum decus, clarissimum Praesulum exemplar,

ingens Ecclesiae universae ornamentum, Te Carole, Borromaee, silentio praeterire nec pietas sinit, nec tuorum in nos patitur meritorum magnitudo. Plurimis Tu quidem nominibus de sacrosancta Christi Religione es meritus: Tu eximiae pietatis, Tu virtutum omnium splendore mirifice eam illustrasti, Tu admirabilis sapientiae, et singulari prorsus doctrinae laude summopere exornasti. Tuae imprimis sollicitudini, et numquam satis pro meritis laudatae accurationi debet illa tot sanctissimas aut Provincialium, aut Dioecesanorum conciliorum, et omnium praestantissimae synodi Tridentinae sanctiones, e quibus innumerabiles, ac saluberrimae in totam rem Christianam utilitates dimanarunt. Ardentissimae, ac laboriosissimae Tuae caritati jure, meritoque acceptam illa refert, excisis ubique locorum corruptelis, sacrorum administrorum optime constitutam oeconomiam, probe accuratam morum disciplinam, ad bonam, et Christianam frugem instituendae plebis rationem, et alia sapientissima instituta, quae longum esset, atque operosum commemorare. At vero, quod, Te hortante, Te agente, Te urgente Ecclesiae bono educandae juventuti per totum Christianum orbem erecta sint Seminaria, istud certe immortalium operum tuorum longe excellentissimum opus, et tanti est meriti, ut nullum eloquentiae flumen pro dignitate valeat dilaudare. Hac nimirum ratione providentissimo plane consilio sanctissimam Christi Religionem, et praeclarissimo decoratam ornamento, et firmissimo communitam praesidio, et omnibus in rebus, ac partibus pulcherrime instructam, atque apparatam in sempiternum tempus voluisti. In istis namque verissimis pietatis, ac disciplinarum seminariis a teneris, uti ajunt, unguiculis, novellae veluti insitiones insiti puelli ex incorruptis, ac sanissimis summae honestatis, et Religionis principiis optimorum moderatorum sollertia, ac sedulitate exculti tam feliciter, tam fauste, prospereque in dies magis ac magis succrescunt, ut arbores tandem aliquando facti, et in

vastissimum societatis agrum translati uberrimos, et exquisitissimos ferant fructus. Hinc certe sanctissimi antistites, parochorum vigilantissimi, eruditissimi concionatores, strenuissimi errorum, ac vitiorum debellatores, acerrimi veritatis propugnatores, consultissimi, atque integerrimi magistratus, diligentissimi patresfamilias, clarissimi cives, cujuscumque ordinis, et gradus humanissimi, ac religiosissimi homines numquam non prodierunt. De hoc tam munifico, tam liberali, tamque illustri in Ecclesiam, atque humanam societatem collato beneficio, quod aetates omnes admirabuntur, et singulari laudum praeconio, debitaque gratiarum actione prosequentur, Tu tibi, Carole, gloriosius, quam de caeteris praeclare, et sanctissime gestis rebus plaudas oportet, quamque ob illud in coelis consequutus es, mercede amplissima vehementer oblectare. Verum illud tamen Tuae et munificentiae, et liberalitatis magnopere interesse debet, ut, quae vivens labore tuo peperisti, validissimo e coelis patrocinio adversus malorum quorumvis tentationes custodias, conserves, perque universa aetatum saecula volens propitius tueare. Nos vero, qui tuis fortunatissimis auspiciis, ac praesentissima tutela delectamur, peculiari quadam tua indulgentissimi parentis caritate amantissimos natos ut complectare, ut foveas, sospitesque, vehementer etiam atque etiam deprecamur. Sed jam tempus est, ut ad vos, ornatissimi Auditores, mea isthaec convertatur oratio. Ecquid vobis videtur, ex iis, quae de necessaria adolescentium educatione, etsi non ea, quae par erat, verborum, ac sententiarum gravitate, copiaque hactenus disseruimus, nonne illud meridiana luce clarius colligitur, si Religioni, atque hominum societati consultum velimus, maximo eam opere accurandam nobis esse? ita est, ita prorsus est. Quod si adhuc dubitatis, attendite tantisper, quaeso vos, obtestorque, et pro ingenii vestri acie, quae sit rerum nostrarum miserrima conditio, vobiscum una reputate: unde

vero eam tam ingentem, tam luctuosam, tamque portentosam, quibus urgemur, malorum colluvionem in publicam rem nostram derivatam arbitremini? si diligentius omnia considerare, et verum fateri velitis, e nulla, aut vitiosa adolescentulorum institutione profectam eam aperte confiteamini necesse est. Nulla videlicet in pauperioribus, qui pecudum ritu vivunt, qua itur, non qua eundum est, pergentes, vitiosa in nobilioribus est educatio, qui ad elegantiam, ad levitatem, ad vanitatem, ad libidinem, ad voluptatem, ad audaciam, ad ludicram, et fucatam quamdam virtutis speciem, non ad solidam, et expressam virtutem educantur. Atque inde non raro usu evenire solet, ut, si qui probam, ac moderatam a natura ipsa nacti sunt indolem, praepostera isthac, et e levissimorum, ac vitiosorum hominum opinione concinnata instituendi ratione deformetur illa statim, corrumpatur, depravetur, et vitiosissimi evadant, qui ad virtutum maximarum laudem fuerant a natura comparati. Proh Deus immortalis! ubinam gentium sumus? Hoc profecto sine gemitu, ac lacrymis dici non potest: cum sanctissimam, ac divinissimam Religionem profiteamur, Ethnicis, et barbaris ipsis deteriorem, ac scelestiorem traducimus vitam. Quibus enim modestia, temperantia, innocentia, abstinentia, atque aliarum id genus virtutum splendore, quod Ethnici religiose factitabant, praelucere deberent, ipsi, ipsi, inquam, inhumani parentes, educatores, natuque majores liberis suis, alumnis, minoribus natu perversis, atque improbis suis factis, dictis, consiliis, auctoritate ad immodestiam, intemperantiam, impietatem, impudentiam, et scelera quaecumque perpetranda funestissimam praeferre non dubitant facem. Et miramur adhuc, et conquerimur, cum haec ita sese habeant, si eo tandem nostra omnia reciderunt, ut Religionis, ac publicae rei non modo nervos, atque ossa, sed etiam colorem ipsum amiserimus? Sed agite dum, quaeso vos iterum, obtestorque, Auditores, respondete mihi, quid

revera aliud, ut singula cursim, ac summatim delibemus, quid revera aliud sedulorum parentum consilio, labore, industria firmatas, amplificatas, optimeque fundatas familias infirmavit, exinanivit, evertit? Neglecta, aut vitiosa puerorum educatio. Quid liberos a parentibus abalienavit, ut eos despuerent, negligerent, aversarentur? Quid vicissim usque eo patriam in liberos caritatem imminuit, ac debilitavit, ut nedum eos diligerent, atque amarent, sed vexarent potius, affligerentque? Neglecta, aut vitiosa puerorum educatio. Quid ignavam, audacem, insolentem, scelera anhelantem, magistratuum, seniorum, divinarum, atque humanarum legum contemptricem effecit juventutem? Neglecta, aut vitiosa puerorum educatio. Quid cupidos magistratus, venalia jura, libera passim, atque impunita reddidit flagitia? Neglecta, aut vitiosa puerorum educatio. Quid simulationibus, assentationibus, fraudulentiis officiosas, et sanctas foedavit, atque infuscavit amicitias? Quid a natura ipsa conciliatas propinquos inter, atque affines conjunctiones dissociavit, atque in mutuas simultates eorum animos accendit? Neglecta, aut vitiosa puerorum educatio. Quid ditiorum avaritiam adeo in pauperiores duram, et acerbam fecit, ut quibus benigne, ac large opitulari deberent, fictis opprimant causis, et pulchris extexunt calumniis, quantoque perditior quisque est, tanto acrius urgeant? Neglecta, aut vitiosa puerorum educatio. Quid sanctissimas leges, et majorum instituta conculcavit, profligavit, extinxit, quid privatam, ac publicam modestiam, pudorem, morumque honestatem dedecoravit, depravavit, et majorem in modum labefactavit? Neglecta, aut vitiosa puerorum educatio. Quid tot, tantisque Religionem criminosis maculis aspersit, et vulneribus confecit, ut nullus jam sit superum metus, nulla sacrorum reverentia, pietas passim negligatur, dogmata contemnantur, nihil adeo sanctum, ac divinum extiterit, quod per summam audaciam non sit atten-

latum, violatum, ac penitus eversum? Neglecta, aut vitiosa puerorum educatio. Quid internecinas conflavit seditiones, atrocissimas excitavit rebelliones, turpissimas suasit proditiones? Quid clandestinas conjurationes concinnavit, quid turbulentissimas inflammavit, et in suam ipsorum perniciem civium dextras armavit? quid in agris vastitatem, in oppidis solitudinem, in castris perfidiam, omni autem in loco, ac sede ferrum, flammamque propagavit? Neglecta, aut vitiosa puerorum educatio. Remota enimvero animorum cultura, levis, stulta, et vana est pueritia, stultam porro, vanam, ac levem pueritiam, audax, importuna, insolens, ac temeraria excipit adolescentia: temerariam, insolentem, audacem adolescentiam petulans, effraenata, flagitiosa sequitur juventus; flagitiosam, effraenatam, petulantem juventutem improba, scelesta, fraudulenta, atque ambitiosa pone subit aetas virorum, quam deinde omnium foedissima, ac teterrima senectus consequatur oportet. Atque ex eo contingit, ut communis omnium nostrum parens societas cum aliis, atque aliis morbis laborantes natos complectatur, assiduis ipsa quoque morbis, et gravissimis incommodis laboret. Recta e contrario, ac religiosa educatio plena est humanitatis, plena officii, plena observantiae, plena sapientiae, plena beneficentiae, plena sanctitatis. Haec insitam humanis animis emollit ferocitatem, ignaviam, ac rusticitatem depellit, impotentes cohibet, ac retundit cupiditates, ab inimicitiis, ac discordiis abhorret, pacem, tranquillitatem, ordinem, concordiamque spectat, imprimis autem quibuscumque in rebus quod rectum, quod decorum, quod honestum est, sectatur, atque adeo ad modestissimos, integerrimos, et continentissimos, vel vitiosissimos quosque homines efficiendos, quam plurimum valet. Atque haec universa vel eo maxime si ad Romanae Christianae religionis sanctissima instituta, et praeceptiones puerorum educatio exigatur. In una quippe Christi religione, quod probe ipsi per

vos potestis intelligere, et pura, et integra, et omni ex parte perfecta, et numeris omnibus absoluta moralis haberi potest institutio. Praeterquam enim quod divinam ab ipsamet summi Parentis Sapientia totius sanctitatis, scientiaeque inexplebili fonte coelitus allatam doctrinam profitetur, incredibili quadam, et prorsus singulari ad emolliendos, permulcendos, et quocumque voluerit, inclinandos animos et gratia praestat, et efficacitate. Ea una semper extitit faustissima humanitatis, et omnium civilium bonorum conciliatrix, perblanda animorum nutricula, potentissima populorum moderatrix. In quanta errorum perversitate, flagitiorum impudentia, morum barbarie, ac foeditate ante evulgatam nostram Religionem totus terrarum orbis versaretur, neminem profecto vestrum latere arbitror, Auditores; quanta vero liberalissimae humanitatis, spectatissimae modestiae, et exploratissimarum veritatum extemplo lux, ac decus, ea affulgente, ubique gentium affulserit quis vestrum ignorat? Plurima quidem inficiandum non est, plurima a Platone, ab Aristotele, Socrate, Aristippo, ceterisque minime ineptis antiquitatis philosophis sapienter, ac praeclare de morum disciplina, ac philosophia universa sunt conscripta, quae jure, ac merito aetatum omnium doctissimi quique homines, et probaverunt, et magnis in coelum laudibus extulerunt. Verum permulta in his quoque sunt et stulte, et temere, et absurde affirmata, ut recte intuentibus, ac judicantibus vinolentorum hominum somnia potius, ac deliramenta, quam sapientum cogitata nonnulla ab illis dicta videri possint. At re quidem vera incorrupta quaecumque sunt integra, et ad summam sanctitatem, atque honestatem comparata in una sanctissima, ac divina Christi Religione inveniuntur. Quae sane omnia hucusque disserta cum in dubium omnino revocari non possint, expergiscamur tandem aliquando, Auditores, ab altissimo et pestifero illo somno, quo jacuimus ad hanc usque diem oppressi, expergiscamur, et quid

consilii capiendum sit nobis, vigilantes videamus. Illud profecto, ut primum persuasum habeamus, nullam neque Religioni, neque societati utiliorem, neque homine christiano digniorem navare operam nos posse, quam si erudimus, et edocemus juventutem. Tum vero ut totos, quanti sumus, nos totos tam salutari, tam sancto, tam glorioso operi devoveamus. Quantum igitur virium, quantum animi, quantum ingenii, et consilii, quantum sedulitatis ac sollertiae in nobis est, ad erudiendam, excolendam, rite, ac religiose educandam juventutem conferamus. In id tota animi corporisque contentione adlaboremus, hoc dies ac noctes spectemus, quid ad sanctissimum istud propositum magis interesse videatur, saepe nobiscum una reputemus. Nullam praeter occasionem mittamus ad virtutem, atque omne officii genus, qua privatis admonitionibus, qua publicis sermonibus, nunc serio, nunc jocando, et quasi blandiendo juvenes hortandi, et excitandi. Sed illud primum omnium nos illis metipsos vitae, morumque expressa exemplaria integritate, gravitate, temperantia, abstinentiaque nostra exhibeamus. Maximam illorum in rebus omnibus, ac locis reverentiam, ac rationem habeamus, ut nihil iis praesentibus, nisi quod summam decet virtutem, agamus, et loquamur. Quae si diligenter, accurateque fecerimus, inflictis e prava puerorum educatione Religioni, ac societati vulneribus saluberrimam faciemus medicinam, et amplissimam a summo bonorum omnium auctore, et largitore Deo mercedem referemus. At, vos, Adolescentes optimi, deliciae nostrae, desiderium, et jucundissimum gaudium nostrum, praecipuum societatis praesidium, atque ornamentum me vos extremo hoc loco admonentem paullisper attendite. Quantum curarum, molestiarum, ac laborum pro vestra cultura, quotidie a nobis suscipiatur vos certe non fallit; quam patienter, quamque libenter, ac paterne nostram vobis operam in singulas ferme horas commodemus, pervi-

detis. Nec ullam a vobis aliam pro tot, tantisque curis, ac laboribus expetimus gratiam, quam ut nihil, aut parum in pietate, ac literis proficientes nostram perire industriam ne sinatis; at contra humanitate, docilitate, patientia, obedientia, benevolentiaque vestra laborantes nos adjuvetis, atque in durissima, et salebrosa isthac exornanda provincia in dies magis, ac magis alacriores, et diligentiores efficiatis. Durum namque perdiligenti colono, et grave illud accidit, si post asperrimae, et intemperantis hyemis in excolendo fundo duratos labores, praeceptas ille spes, et justissima vota segetum inopia mentiatur. Maximas a vobis Religio, maximas societas expectat utilitates, cujus utriusque benignae parentis expectationi respondere nequaquam valueritis, nisi manibus, ac pedibus, uti ajunt, in pietatis, ac litterarum cultura contenderitis. Molesta quidem est, atque acerba molliori, ac desidiosae aetati vestrae disciplina, et virtutis palaestra: sed omnia dura, atque ingrata, leviora et jucundiora amantibus fiunt, nec ad magna praemia perveniri potest, nisi per magnos labores. Ecquid sibi aliud veteres illi poetae voluerunt, qui virtutem in excelso, ac praerupto montis cacumine collocatam confinxerunt? Illud videlicet, ut intelligeremus magno illam, et assiduo curarum, ac molestiarum certamine comparandam nobis esse. Amplissima porro, et perjucunda e recta morum disciplina perpetuo bona dimanarunt. Haec nimirum illius foecunda parens, et sedula gubernatrix, et fidelis custos est Sapientiae, quam penes omnia adsunt bona, quamque hominum sapientissimus Salomon cum plurimis aliis in locis, tum vero Proverbiorum capite undecimo mirifico prosequutus est, et meritissimo laudum praeconio, quum inquit *beatum esse, qui eam invenerit: meliorem esse acquisitionem illius negotiatione argenti, et auri primi, et purissimos fructus ejus. Longitudinem dierum in dextera ejus, et in sinistra illius gloriam, et divitias, vias ejus, vias pulcras, et omnes semitas illius pacificas.*

Lignum denique vitae illius esse, qui apprehenderit, et qui tenuerit eam, beatum. Hanc igitur tam praeclaram, tam opimam, tam frugiferam, tam divinam sapientiam, cujus istud, quod incolitis Seminarium, sedes, ac domicilium potest merito appellari, ut assequamini, nonne omnes corporis cruciatus, atque incommoda parvi facienda existimabitis? Illud quoque Salomonis ejusdem saluberrimum effatum ad mentem revocate: *Si sapiens fueris, tibimetipsi eris, sin autem illusor, solus portabis malum.* Atque haec brevissima, et fortasse minime aspernenda monimenta, si, quod pro vestra perspecta ingenii docilitate ita fore speramus, aequi bonique accipitis, et identidem apud animos vestros taciti revolvetis, fiet profecto, humanissimi Adolescentes, ut si quid in litterarum, ac pietatis palaestra durum, atque asperum videatur, non modo aequo animo, sed et libenter toleretis. De Te autem, amplissime Praesul, quid dicam? Tuam tibi incredibilem in nos Seminarii tui alumnos sollicitudinem magnopere gratulabor. Tu cum tuae curae commissi gregis universi commoditatibus perdiligens advigilas, tum vero nos potiorem veluti gregis ejusdem partem potiori quadam, et peculiari complecteris indulgentia, et caritate; in nobis cariores tibi positas delicias arbitraris. Ad majorem utilitatem, atque amplificationem nostram omnes tuas cogitationes, et studia perpetuo contulisti. Nulla unquam fuit rerum varietas, nulla temporum vicissitudo, quae tuam in nos tam benignam voluntatem valuerit, non dicam, abalienare, sed ne paullulum quidem immutare: quod per impeditorum temporum injuriam praesens nequisti, per amoris, sollicitudinis, officiique plenas literas diligentissime nobis cunctis in rebus consuluisti, et nihil fuit aliquando, quod ad rem nostram pertinere intellexeris, quod et suscipiendum extemplo, et primo quoque tempore non curaveris perficiendum. Tu tibi, amplissime Praesul, de hac tua tanta in nos animi propensione, quae liberalissimam a Pastorum

principe Jesu Christo mercedem consequetur, summopere tibi plaude. Nos enim, nos agnorum illorum gerimus personam, quos ipsemet Christus Divo Petro in suae adversus eum caritatis testificationem pascendos non semel, sed iterum, atque iterum commendavit. Nos contra, ne tot, tantisque tuis meritis parum grati videamur, Te quod hactenus quoque efficiendum curavimus, omni, qua par est, intima animorum nostrorum sententia in omne reliquum tempus amare, diligere, et singulari studiorum ratione prosequi adnitemur. Sed illud imprimis, praeterquam quod officii postulat ratio, ut Tibi quoque vehementer gratificemur, alacriori, atque ardentiori in singulas horas sedulitate pietatem, ac litteras exculturos pollicemur.

DIXI

Sit laus plena Deo, sit gloria Numinis almae
Matri, sit superis tempus in omne decus.

CON PERMISSIONE ECCLESIASTICA.